

276

THESAURUS EX THESAURO

obscuriora loca vino excellent, sive ad jucunditatem, sive ad usus Medicos requiras. Inde & OVIDIUS:

*Jam Bacchæa, nemus TMOLI, vineta tenebat
Hesperus.*

Propè Sardes occurrit

CXVII.

PHILADELPHIA.



Philadelphæ hoc numisma explicat Cl. PATINUS. Effigiem Diademata tam Populum existimat non Philadelphensem, sed Romanum. Idem & ait, Aversæ Dianam præcipuum Lydorum Numen esse, quod facile damus, cum non tantum Deæ signum numismatibus impreserint, sed & Neocorum appellatione veniant, ex quâ palam est, Philadelphenses non tantum Deam hanc coluisse, sed & ejus templum in terris eorum Solenni Lydorum cultu frequentatum extitisse; hoc enim vocem Neocorum sibi velle, latius probat ALBERTUS RUBENIUS in doctissima diatribe de Urbibus Neocoris.

AD mare regressis propè Caystrum occurrit

CXVIII.

EPHESUS.



Ephesus celeberrimum olim totius Asiæ citerioris Emporium fuit, cultusque & templo Dianæ imprimis nobile, quod posterius inter orbis miranda connumeratum Heroftratus quidam eodem die, quò Alexander M. natus est, ut sibi famam hòc factò conciliaret, incendisse legitur. Numisma nostrum in Symbolis Epistolicis Doctiss. LAUR. PIGNORIUS exposuit, sed cum diversâ inscriptione, quæ ibi ΑΡΙΣΤΑ ΓΟΡΗΣ habet, cum in nostro